Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1239
Quelle:
Copyright:

CCCXIV.

786 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 112. 8. propria, ut videtur, Autoris manu nitide ſcriptus et olim e Theſauro *Ambraſiano* huc translatus insignitur minio: *Ad ſereniſſimum inuictiſſimumque orbis dominum. maximilianum ceſarem: Joannis tritemij abbatis peapolitani* (ſive ad S. Jacob. Herbipoli a πεαν Herba) *liber octo queſtionum in nomine chriſti incipit.* Praeit Index harum Quaeſtionum in *Caſtello Boparbiano* Autori a *Maximiliano* pro curioſitate ſua encyclopaedica propoſitarum. Reſponſa ſubſcripta ſunt: *Ex ciuitate neometana* (Spira) *X. die menſis Julij. Anno Chriſtianorum Milleſimo Quingenteſimo Octauo.* Egit jam de iis *Lambecius* L. II. p. 805. edit. *Kollar. col.* 634. Quoniam vero non nisi *Paralipomenωn Petri Bleſ.* et *Job. Tritemii* a *Job. Buſaeo* S. J. *Mogunt.* 1605. et *Colon.* 1624. 8. editorum, quibus inſertae ſunt, meminit, juverit et ſeparatas Editiones mihi cognitas hic adſcribere. Sunt vero: *Oppenhemii* 1515. 4. *Coloniae* 1534. et 1603. 4. *Francofurti* 1550. et 1610. 8. *Duaci* 1621. 4. Quibus adde Verſionem *germanicam* interprete *Hier. Zieglero Ingolſtadii* 1555. 4.

CCCXV.

48 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. max. per duas columnas minute ſcriptus et rubricatus exhibet I. *Petri Lombardi* Ep. Pariſini *Libros IV. Sententiarum*, quibus ſibi et *Magiſtri* nomen promeruit. *Fol.* 1. *pag.* 2. incipit Praefatio: *Aliquid de penuria ac tenuitate noſtra cum paupercula in gazophilacium domini mittere. ardua ſcandere. opus ultra vires noſtras agere preſumpſimus* &c. Editio princeps *ſ. l.* et *a. f.* quae cum reliquis Sec. XV. editionibus anno 1784. e *Bibliotheca Garellia* in Caeſaream translata eſt, vocem *Cupientes* praemittit, cujus omiſſio ſenſum tamen nullatenus turbat. Librum quemvis antecedit *Index Capitum.* Quartus et ultimus ſic definit: *qui a facie ſedentis exorſus per media ad pedes usque uia duce peruenit.*

II. et quidem *fol.* 79. exhibet Codex noſter Opuſculum, cujus haec rubrica eſt: *Incipiunt diſtinctiones ſuper totum pſalterium. ſecundum magiſtrum Thomam Nouonienſem. quas fecit cum legeret Pariſius.* Praefatiuncula incipit: *Preoccupemus. faciem eius in confeſſione. Eſt introitus interior et exterior* &c. Sequitur alia rubrica: *Incipit liber ymnorum uel Soliloquiorum prophete de Chriſto.* Et ſub hac: *Dauid dicitur eximius prophetarum Propter humilitatem. unde de eo dicitur in primo Reg. III. cap. Inueni uirum ſ. c. m. Propter regiam dignitatem. Vnde dicitur. Oleo ſancto meo unxi eum. Propter factam ei de Chriſto promiſſionem. Vnde. de fructu ventris tui ponam ſ. t. Propter dictorum ſuorum excellentiam.*